2017.

Clarissimo & ornatissimo Viro

D. D. ... Eulero Juniori academ. imperial.
Petropolitanæ à Secretis, &c, &c, &c

Carolus Morton ejusdem academ. Soc.
&c, &c, & Societat. Regal. Londin. à Secretis
S. P. D

Vix in patriam redux, post iter Hibernicum quadrimestre, socios & Astronomos orbem nostrum circumnavigantes, & salvos (præter astronomum Green) lætus conveni. Fructus uberrimos ex hac legatione literaria expectat tota gens omnium qui rem naturalem & civilem colunt: neque expectationi suæ fraudabuntur; quum Narratio integræ navigationis

1v

& observationum circa res naturales, cum
libris alijs Navigationibus nuper
prelo mandantur, authoritate publica
laborum ut desiderio invictae & maximae
imperatricis, quae ut planeta veneris solem
sic ipsa orientem occupavit, quodammodo
subministrentur; Miſsi tibi observationes
ad Veneris transitum pertinentes, in insula
Regis Georgii (sic vocatur) aliter Hota-
in mari pacifico, sumptas, ut Praesidi illu-
striſsimo & socijs ornatiſsimis communi-
ces, & quam citius accipiatis. Tradidi
porro in Manus Legati vestri Excellentis-
ſimi exemplaria Meditationum algebraicarum
amici mei integerrimi D. D. Professoris Canta-

brigiensis Waring, quae honoris causa mittit, unum pro Bibliotheca Academiae Imperialis, alterum patri tuo maxime honorando, & tertium tibi ipsi Secretario dignissimo. Opus Delphicum quod pater quem colis mihi obtulit accepi, cum duobus exemplaribus commentariorum veterum, pro Sibthorp & mei, & ago gratita, tias maximas. Plura habeo tecum communicanda; sed iter quatuor septimanarum, q^{d} nunc meditor, otium abripuit.

Vale vir doctissime, & virtutes paternas passibus aequalibus sequere.

Datum e Museo Britannico ad diem 25 Augusti, nostrae supputationis anno D. 1771.

Portsenphium. addidi porro exemplar observationum ad urbem Philadelphiae in America sumptarum, quas clarissimus Maskelyne astronomus regius mittet; qui porro Observationes in mari Pacifico ex narratione astronomorum nostrorum hausit. Habeo duo exemplaria Commentariorum nostrae societatis, qui reditum meum ut vobis mittantur expectant.